



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XIV. Potentiam legibus sumptuarijs mirabiliter augeri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

pijs & colonijs fuisse lœnas argenteas. Heliogabalus teste Lampridio Circenses exhibuit in Euripis vino plenis, & miror cum in meraco naues decurrerent, an vnus anni vinum suffecerit tanto farori. Adde deinde pleno fluitantia vela theatro, & Arabes nimis Romæ maduisse suis. Quin & missilia sparsa, omnium rerum per omnes dies, singula quotidie millia auium, cuiusque generis multiplex penus, tessera, frumentaria, vestis, aurum, argentum, gemma, margarita, tabula picta, mancipia iumenta, atque etiam mansuetæ feræ, nouissime naues, insulæ, agri. His donationibus tam cœcis, tam noxijs, ne Oceanus quidem sufficere posse videtur, & mœnera hæc capiebat improbissimus quisque.

In bestis capiendis, alendis magnam impensa.

Sumptus etiam maximi imperij in solos gladiatores effundebantur, ducenta, aut trecenta millia fuisse arbitratur Lipsius. Ego plura omnino, si iungamus bestiarios, & bestias; & hæc propriè munera nominabant. Nunc causam Romani ararij toties exhausti consideremus. Primo emendi gladiatores plerique, deinde saginandi, 3. exercendi, 4. custodiendi, 5. nobiliter arandi. Bestiarum venationi, custodia, escis, centum millium hominum alimenta deputo, Gordianus feras libycas centum, vrsos vno die mille dedit, alij alia, Seuerus è nauì solutuli quadringentas feras. Statuamus enim decem millia ferarum semper alita, absumunt illæ tantum quantum triginta millia hominum; singulis annis capta quina millia putemus; quot hominum millia, in leonum, vrsorum, tigrium venatione occupata censuimus? non quæro, quot perierint, cum vel vnum leonem, capere sit arduum. Sed operosius & periculosius erat venationis opus, quod sagittis, & venabulis feræ conficiendæ non erant, sed viarum fossis & retibus capiendæ, in naues imponendæ, per longa spacia Romam mittendæ, additis curatoribus, animalibusque mansuetis, quibus vescerentur, vt in bestiarum capturam, alimentaque expensæ tantæ videantur factæ, quæ integro exercitui sufficerent. Hinc publica ararij paupertas, & sæpius integritarum nationum opes exhaustæ, ipsæ venditæ, sed pecunia in largitiones, & munera effusa.

CAPVT XIV.

Potentiam legibus sumptuariis mirabiliter augeri.

Sumptuaria leges varia.

Publica paupertas ex parsimonia nascitur.

§. I. **L**E G E S sumptuarias appello, quibus sumptuum moderatio præscribitur; Quas ad tria capita reuoco, aliæ enim conuiuiorum modestiam præcipiunt, quas Cato cibarias appellabat, aliæ vestium præcia moderantur, aliæ ædificationes & familiam regunt. His legibus non modo parsimoniam vtilissimam partem, sed salutem etiam Reipublicæ contineri arbitror. Si enim sibi suisque Princeps leges figat, easque sequantur subditi, necesse est ex omnium parsimonia, & frugalitate, publice vbertatem, diuitiasque nasci, minus contentionum, scelerumque esse, quæ ex prodigalitate plurima oriuntur, dum per injuriam queritur, quod per lasciuiam effundatur. Legibus deinde illis pax, & tranquillitas, ordinum distinctio, decorumque conferuatur, & maleuada paupertas aueritur. Nam reuera sumptu nimium plerique prodeunt, & sese ipsi in extremam necessitatem coniciunt. Magnæ olim prouidentia fuit, cum sumptus definirent. Numa alioqui supersticiosissimus legem tulit: *Vino rogum ne spargito*; ne sumptu Dij potius,

quam animo colerentur. Cum enim semper luxuria auferceret, nec modum inueniret, legum repagulis opus fuit, quibus intra metas, atque orbitam continerentur.

§. 2. Humani generis maleuolentissimas querelas optimo iure miraremur, nisi jam visitatæ essent. Quicquid ita meritis aduersi euenit, tempora, Magistratus, D E V M aliquando, demum omnia potius quam sua quisque vitia accusat; si robigo segetem exussit, si prata aruerunt, si pruina pampinos decussit, si miles pecora auerit, si tributa Princeps indixit, omnia querulosi, acerbis, tristibus, & interdum seditiosis vocibus resonant. Tempora esse grauiora, omnia accidi, vitam vix esse vitabilem, ciuem nullum posse emergere, agricolas premi vndique, & vndique exhauriri, nobilitatem prope interitum esse.

Quibus tamen in terris tam crebræ querimonie distantur, qui deprimi se, & exhauriri clamant? Illi ipsi, qui suorum damnorum causam ipsi adferunt. Res ipsa loquitur, exempla centena hac ipsa hora ostendam. Agricola, cuius auus inemptis dapibus mensam priuatam, conuiuia, nuptias instruebat, non jam bubula, agnina, vitulina, anserina, gallinacea contentus est, pisces peregrinos, exotica vina, fructus Italicos, Hispanicos, aromatum omnium condituras, adulteriaque congerit, & rustica corda, insueta deliciarum, aratum cum ipsa glebâ absumere docet.

Ciues qui manu victum querunt, conuiujs indulgent, nihil rerum preciosarum, quas in diuitum, & nobilium mensis viderunt, omittunt, nuptiali conuiuio æs alienum contrahunt, de quo liberi jam grandes fœnus exsoluere coguntur. De vestibus quid dicam? Vicariorum filij, opificesque, qui omnia sua bona secum portant, diuitum nobiliumque habitum imitantur, & superant.

Hæc autem magnam partem prauâ emulatione faciunt, vt diuites videantur. Non adhuc infaniam istam, vt meretur, accusare audeo, & querere, cur simulanda opulentia ad egestatem properent, cum frugalitate rem parare possint? Nondum hoc ago, sed impudentiam istorum retundo, qui de suis temporibus detrahunt, cum magna sint ipsi labores temporum. Rusticus, cuius, sartor, faber, queritur ob temporum difficultatem emergere se non posse. Idem tamen vestitur vt nobilis, conuiuiatur vt diues, ædificat vt Princeps, familiam alit quasi Magistratus, neque animaduertit causam esse paupertatis ex moribus acceptam.

Laudas præteritos, præsentis despicias, imò execraris annos, causas paupertatis enumeras; sed rusticus fœnicatus, annulatus, in domo pictâ, ad phasianos, turdos, perdices, ad vina preciosa, ad testudinem & musicam aulicam, forte & ebrius, querelas deponis. Non audio, nisi mores immutari, nulla tempora tam felicia sunt, vt talem faciant beatum, ne ipsa quidem felicitas seruire te possit. Reuerendissimus Princeps meus JOHANNES SCHVVICAR D V S S. Sedis Moguntinæ Archiepiscopus, Anno 1615. leges sumptuarias edidit, causasque præfatur; Se iam aliquot annorum experientia didicisse, subditos suos in superiori, & inferiori diœcesi, in oppidis, & pagis, præcipue in conuiujs baptismalibus, agapis patrimoniorum, & nuptialibus, expensis magnis se grauari eam rem, nullum velle postremas tenere, eos qui re tenui sunt, opulentiores emulari, inde multos interdum ita premi, & ære alieno grauari, vt emergere non possint, nec debita obsequia Magistratui præstare.

Ita plane est; certant inter se sumptu, omnes vincuntur, grauiissime læduntur, si quis superauit; deinde desperatis suis rebus, nec patriæ fidi sunt, nec Magi-

Inter querelas de paupertate cre-scit luxuria.

Causa paupertatis.

Sumptuaria leges.

Leges sumptuariae Moguntinae.

Reuerendissimus Princeps.

Magistratus.

Magistratibus obsequuntur. Vetera sunt illa vitia, & nisi seueram manus rectoris obstitat, excutiantur. Sammonio⁹ Seuerus de lege Fannia, eadem penè recenset. Fannia lex, inquit, ingenti omnium ordinum consensu peruenit ad populum, neque eam Praetores aut tribuni, vt ple-
Luxu Ro-
manorum. rasq; alias, sed ex omni honorum consilio & sententia ipsi Cof. perculere, cum Respublica ex luxuria conuiuiorum maiora quam credi potest detrimenta pateretur. Siquidem eo resre-
di-
derat, vt gula illecti pleriq; ingenui pueri, pudicitiam, & li-
bertatem suam venditarent: pleriq; ex plebe Romana vino
madidi Comitium venirent, & ebrii de Republica salute con-
sulerent. Hec Sammonicus.

Nostri etiam Principis lex omnibus plaudenti-
bus lata est. Gaudebant frugales patresfamilias si-
ne dedecore & obloqui apiciorum posse se esse so-
brios, & frugales, nec modo periculum profusionis
lege excussum, sed necessitatem etiam parsimoniae
indictam. Nec tamen desunt, qui contra tendant,
in luxuriã duntaxat diuites, in iuuandã Republicã
pauperes.

§. 3. Leges Moguntinæ sumptum definientes,
in numero conuiuorum, ferculorumque, in tempo-
re, & muneribus describendis consistunt, quãdam
verò contiuiia profus tollunt.

De his ita edicitur.

Sponsio-
rum conui-
uia soluta. I. In sponsaliorum contractu, in pagis nullum conuiuium
instituitur, qui verò contractui definiendo adfuerint, tenuis
illis ex pane, & vino refectio tribuitur. In vrbibus tamen, si
opulentiores sint sponsus & sponsa, sumptu vtriusque fami-
lia, conuiua decem, aut duodecim vocari possunt, ita tamen,
vt ultra tres horas conuiuium non extendatur, pœna trans-
gressoribus decem libræ denariorum, articulo quarto,
§. tertio.

Numerus
conuiuia
nuptialia. II. Conuiua nuptiales ciuibus, & opificibus
quinquaginta, Academicis, illis qui à consilio, aut
in iudicijs sunt, quemadmodum & opulenti negoti-
atoribus septuaginta quatuor; Consiliarijs auli-
cis, & iudicij aulici Assessoribus nonaginta qua-
tuor permittuntur. artic. 4. §. 4. & 5. Multa in
singulas personas, quæ superant numerum, dicta est,
quatuor libræ denariorum. In pagis verò etiam di-
tioribus quadraginta tantum, cæteris triginta per-
mittuntur.

Monuscula
baptisma-
lia. III. Omnibus in hac lege dispensandi potestas
aufertur, itaque à solo Principe illa peti debet, aut
ipso absente ab ejus locum tenente. §. 7. art. 4.

IV. Ratio ferculorum hunc in modum in bapti-
smali conuiuio definitur. Primo. Qui primario aut
mediocri loco sunt, mittere puerperam primo die ba-
ptismatis poterunt jentaculum, hoc est, vini ampho-
ram, & duos albos, aut tantundem simulaginci pa-
nis, idque vbi in vsu sunt jentacula. Vbi mortis non
est ea sumere, duas amphoras vini, & duos albos mit-
tere licet, non tamen id licet opificibus, & mercena-
rijs; multa decem libræ denariorum transgressori ir-
rogatur. artic. 3. §. 7.

Refectio
post bap-
tisma. V. Si quispiam post Baptismum obstetricem, aut
alias quæ puerperio interfuerunt, inuitare voluerit,
nihil illis nisi iusculum cum carne, assaturâ, caseo ap-
ponet, non liba, aliaue. Multa 6. libræ denario-
rum. Nec mulieres supra duos batzios in refectio-
nem impendent.

Fercula
nuptiarum. VI. Nuptiarum fercula ista sunt; Ciues, & opi-
fices, quatuor tantum fercula proponent. Primo.
Iusculum, cum carne lixa, vel gallinâ. 2. Olus cum
carne lixa, vel petasone, vel farciminibus, pro ratio-
ne temporis. 3. Pisces. 4. Assatura, cui addi pote-
runt, vel grundelli, vel cancri, vel coagulum, vnum
ex his, non plura; Medij status hominibus altera
assatura permittitur, vt Academicis, diuitibus, mer-
catotibus. At Consiliarijs & aulici iudicij Asses-
sibus, bina alia fercula, multa 10. libræ denariorum.

Quod si magnæ dignitatis quispiam adsit in solâ il-
lius mensa iusculum honoris ergo apponi potest.
Ita tamen vt picta eduliorum simulachra penitus
tollantur. artic. 4. §. 19.

VII. Baptismo finito nullum virorum conuiuium
est. artic. 3. §. 10.

VIII. Tempus quoque definitum est, in pagis
furgendum circa horam secundam à mensâ, in vrbibus
horâ quartâ, aut quintâ. non quod vrbicis plus
indulgeatur, sed quod tardius confidere soleant.
Omnes verò honeste, & compositè redire domum
jubentur.

IX. Altera die iterum, sed vndecimâ horâ con-
ueniri poterit, sed in pagis hora quarta pomeridia-
na, vt tamen omnia hora octaua finiantur. Inter-
rim nec pueri, nec alij non inuitati de familia addu-
cantur, nec quicquam foras mittatur.

X. Munerum hæc ratio est. Ciues & opifices
patris non nisi medium Philippicum; Academi-
ci, & ditiores integrum, vel florenum aureum, Con-
siliarij aulici ducatum donare poterunt, alia munu-
scula penitus omitantur, sub pœnâ decem librarum
denariorum. Si quis auratos, argenteosque scyphos
dederit, quadringentis libris denariorum multabi-
tur.

Obstetrici honorarij loco duos albos, & ædituo
tantundem offerent. Diuites 4½ donare poterunt.

XI. Donaria seu strenæ inter patris, octauam
floreni partem non excedent, liba, cætera dulciora
omnino tolluntur; pœna 5. libr. denar.

XII. In confirmatione quoque munus non ex-
cedet tres Batzios, si libellum precum donare malue-
rint, is precium quinque, aut sex batziorum non ex-
cedet, idque tantummodo primarijs concedetur.

XIII. In nuptijs nec indulgia nisi parentibus, nec
sudarum nisi paranympo, proximisque agnatis do-
nentur. pœna 5. libr.

XIV. Conuiuij precium statutum non excedent,
nec Adolescentes, & Virgines medium philippi-
cum.

Par Conjugum mediocrium dalerum imperia-
lem.

Digniores florenum aureum.

Praetati è secundario clero, & sæculares in hono-
ratis officijs ducatum. Qui plus dederit, 10. libris
denariorum multabitur.

XV. Valde opulenti permittitur, vt pro memo-
ria scyphum argenteum donent, verum id solis pa-
rentibus, fratribus, & sororibus, nulli alteri, sub pœ-
na 50. librarum denariorum.

XVI. Liberæ nuptiæ, quibus nihil soluitur, pe-
nitus abrogantur; si tamen ex primarijs Consilia-
rijs quispiam eas velit vsurpare, quinquaginta aut
sexaginta conuiuas tantum adhibebit, nec in publi-
câ domo, sed priuatâ prandium instruet, nec mune-
ra, nisi à parentibus, fratribus, & proximis agnatis
accipiet, qui secus fecerit, centum libris multa-
bitur.

XVII. Inuitatori vbi sex mensæ sunt, floreni duo,
vbi plures mensæ, floreni tres, nulla alia munuscula
dabuntur.

Musici duo floreni, qui si plus possint, decem
florenis multa dicitur. Adolescentibus insignia ne-
duntur, sub pœna octo florenorum. Coco vbi sex
mensæ, quinque floreni, vbi decem, septem floreni,
lotricibus 3. alb. Versanti veru 2. alb. amplius pe-
tenti multa 4. librarum denariorum constituta est.
Si orator, musicus, cocus eo precio seruire nolit, to-
to anno ad nuptias non adhibebitur, si in illis contu-
macia appareat, etiam jure ciuium priuari poterunt,
& vrbe proscribi. Aedituo iusculum cum particu-
la carnis, & duabus vini amphoris donabitur. Ea-
dem

Ebrietas vi-
tanda.

Munera
patris non.

Munera
obstetrici
& æditui.
Donaria
patris non.

Munera
nuptialia.

Nuptia li-
bere.

Officiali
merces.

dem cibaria cum vna vini amphora tubicini, qui in turri ex cubat, dabuntur. Qui nuptiale vinum cellae inferunt præter ordinariam mercedem nihil accipient, vnam tantum amphoram donari illis licet; Vigilibus quoque non nisi duæ vini amphoræ, & duo panes dabuntur.

Sponsorum
munera.

Denique inter sponsum & sponsam donaria, sudaria, aliaque prohibentur preciosa. Cuius itaque & opifices, quinque: mediocres, octo: maioris dignitatis homines, decem florenos non excedent. Desinquentibus multa quadraginta libræ denar. dicta est.

§. 4. Atque illæ leges sunt nuptiarum, quas ad alia conuiuia quoque extendi operæ precium fuerit. Atque ita maiores fecere.

Nam primo parsimoniam ciborum communium præscripserunt, preciosos & exóticos damnauerunt. Extant censoria leges, inquit Plinius libro trigesimo sexto capite primo, glandia in cœnis, glivresque, & alia dicta minora apponi vetantes. Et libro octauo capite quinquagesimo septimo, Mures cœnis ademptos, ait; quos censoria leges, (Princeps M. Scaurus in consulatu) non alio modo cœnis ademerit, quam conchyliis, & ex alio orbe aduictis aues. Quid autem? Vetere tanquam delicias, quæ nunc velut rustici cibi fastidio sunt. Plinius libro octauo capite quinquagesimo primo de suis agens. Neque ex alio animali numerosior materia ganeæ: quinquaginta prope sapores, cum ceteris singuli. Hinc Censoriarum legum pagina, interdiciturque cœnis abdomina, glandia, testiculi, vulua, ficipita, verrina, ut tamen Publii Minorum Poeta cœna postquam seruitutem exuerat, nulla memoretur sine abdomine, etiam vocabulo suminis ab eo imposito. Placere autem & feri sues. Iam Cato Censoris orationes aprugnum exprobrant callum. In tres tamen partes diuiso, mediaponebatur lumbis aprugnis appellata. Solidum aprum Romanorum primum in epulis appositum. P. Seruilius Rullus, pater eius Rulli, qui Ciceronis Consulatus legem agrariam promulgauit. Tam propinqua origo nunc quotidiana res est. Et hoc Annales notant, horum scilicet ad emendationem morum: quibus notata quidem cœna, sed in principio, vini ternique pariter mandantur aprum.

Apri inter-
grum.

Gallina al-
tiles retita.

De Gallinis idem narrat libro decimo cap. quinquagesimo. Gallinas saginare Deliaci copere: unde pestis exorta; optimas aues & suapte corpore vinctas deuorandi. Hoc primum antiquis cœnarum interdicitur exceptum inuenio iam lege C. Fannii Cos. XI. annis ante tertium Punicum bellum, ne quid volucrum poneretur, præter vnam gallinam, quæ non esset altilis: quod deinde caput translatum, per omnes leges ambulauit. inuentumque diuerticulum est, in fraude earum gallinaceos quoque pascendi lacte madidis cibis multo ita gratiores approbantur.

Ea parsimo-
nia Roma-
ni regnan-
tibus indi-
cta est.

An hoc persuadebis nostro sæculo post bellum punicum, cum Italia, Sicilia, Hispania, Græcia, magna pars Asiæ seruiret Romanis, tantam fuisse parsimoniam, ut sancirent lege, ne quid volucrum præter vnam Gallinam poneretur, quæ non esset altilis? O dignos rerum dominos, qui latissime imperantes ne rusticorum quidem nostrorum delicias gustauerunt. Legem fuisse obseruatam idem ostendit, quia hoc caput per omnes leges ambulauit, quia gallinacei in locum matrum substituti sunt.

Quantum in
die infumi
liceret.

Quod Fannia legis mentionem facit Plinius, addita est illa legi Orchia, quæ numerum conuiuiarum præscripsit; Fannia enim sumptus moderatur. Nam ludis Romanis, plebeis, & Saturnalibus, & quibusdam alijs diebus in singulos dies centenos aris infumi concessit, decemque alijs in singulis mensibus tricenos; ceteris autem omnibus diebus denos. Lex illa ingenti fauore omnium ordinum excepta est: quia igitur asses centum permittit, centusis vocata est à Lucilio.

Quantum verò lex permittit cum decem, aut centum asses permittit? Minima res as est, non assis te facio, est in Proverbio contemnendum. Minimus itaque nummus as est cum de pecuniaria re agitur numeratâ; Epicurus gloriabatur se assis non toto pasci. Metrodorum, qui nondum tantum profecerat, toto. Seneca Epistola decima octaua. Comedit autem, ut ipse gloriatur, panem duntaxat, vnde non assis te facio, aqua & pane viens, Seneca indicat panem hordeaceum fuisse. Non enim incunda res est aqua, & polenta, aut frustum hordeacei panis. Epicurus polentam vocat, quam Plinius polentam. Fuisse hanc magnam parsimoniam ostendit idem Seneca. Liberaliora sunt alimenta carceris, sepositos ad capitale supplicium, non tam anguste pascit, qui occisurus est. Alimenta carceris erat libra faris in singulos dies.

Epicuri
parsimonia

Exiguum autem erat, ut est apud Salustium, mortem prohibebat, sed vires tamen eo senescebant. Seneca: exultabis dupundio satur. Duos igitur asses ad satiandum pane ventrem impendebant. Hinc appareret severitas legis Fannia, quæ die festo non nisi centum asses permittit conuiuijs apponi, quæ summa incredibilis videtur, nam centum asses dalerum imperialem minus quinta ejus parte efficiunt; faciunt enim nouendecim circiter batzios.

Conuiuia
Romana.

Hoc precio die toto, duobus in cibum & potum, tribus in condituram, non modo ciues, sed Principes Senatus in summis Festis contenti esse iubebantur. Eo modo conuiuia restringere non possumus, sed tamen quid factum sit, nosse expedit. Non ignoreo eo tempore magnam fuisse rerum vilitatem, sed tamen quacunque æstimatione magna est parsimonia, & severa lex. Quinque enim conuiuias patrifamilias demus, vtrius sextus sit, vxor septima, in panem quatuordecim asses computo, ut quisque dupundio satur sit, in vinum, quod illo tempore rarum erat, pulsus per bella vinitoribus, viginti octo asses, jam asses quadraginta duos habes. Nec minus tamen potest; Nam qui parcissime hordeaceo pane saturabantur, assis in sumebant, & Seneca dupundium, hoc est, duos asses requirit in conuiuium, ubi panis festo concolor, è polline nitidus requirebatur, minus consumi non potuit; Vinum etiam facile in duplum panis precium superabat, nec ignorabant Romulidæ ebrietatem, ad Comitiam enim ebrii veniebant Quirites, & suffragia dabant, quæ ex re etiam concludo ebrietatem eo tempore admodum probrosam non fuisse, cum publica esset, & comitio se ingereret. Pro reliquo apparatu sunt quinquaginta octo asses, quorum viginti nouem in prandii reliquum apparatus, totidem in cœnam impendendi.

Vitia cum
inualuerit
probrosam
sunt.

Quid verò decem asses vno die? Non sunt duo batziji nostri. Quod si nunc similis aliqua lex in vsum esset, quot millium census annuos adferret? Neque tamen adeo seueram, & astrictam probo, quia non facile obseruatur.

Didius legem Fanniam ampliauit, ut eâ Italici omnes tenerentur, deinde sanxit, ut non modo qui prandia cœnasque maiore sumptu fecissent, sed etiam illi, qui adeas vocati essent, pœnis legis tenerentur.

Licinius Crassus, qui dictus est diues, sumptuariam & ipse legem tulit, non admodum diuersam à Fannia. Hoc ab ea differt, quod Kalendis, Nonis, Nundinis Romanis, cuique in dies singulos triginta duntaxat asses, edundi causa consumere liceret: ceteris verò diebus, qui excepti non essent, ne amplius apponeretur, quam carnis aridæ pondus tria, & salsamentorum pondus. Ea verò quæ ex terra,

Hinc appa-
ret prisca
temperan-
tia.

terra, vite, arboreuē nata essent promiscuē largita est. Hæc summo studio, consensuque recepta est, sed mox à Sulla dictatore laxata, qui Calendis, Idibus, nonis, ludis, & festis sesteritios tricenos in cœnam, cæteris diebus non amplius ternos. Secutus est Antius, sed legi ejus obstinatio luxuriæ restitit.

Augustus corruptis moribus vtcunque luxuriam compescere aggressus est. Nam profectis diebus ducenti, Festis, & Calendis, Nonis, Idibus, trecenti, nuptijs & repotijs sesterij mille permittuntur. Vide de hisce Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 17. Agell. libr. 2. cap. 24.

Post ista luxuria inualuit, paupertas, & interitus omnium secutus ast, donec ablatum est sceptrum, & sobrietatem docuit necessitas. Id quod nobis quoque contingeret, nisi legibus, perdendi licentia comprimitur. Nam si ea, quæ priuatorum mensis apponuntur spectemus, Metelli Pontificis cœnam facile æquabunt, de quâ vt sumptuosa Macrobi. libr. 3. Saturn. cap. 13.

§. 5. Altera pars legum sumptuariarum est, vt vestium luxur tollatur, qui nunc tantus est, vt discrimen ordinum omnium tollat, omnia misceat. Ne verò paruum insaniam putemus, aut paruum Reipublicæ detrimentum, vidi mercede laborantes, & opifices toto anno sedulos, genium suum defraudantes, vt nobiliter vestiri possent. Jam pagus majore sumptu vestitur, quam olim magna ciuitas. Dixi hæc de re libro sexto nonnihil, verum nunc Principem fortem requiro, qui paterne subditis provideat, ne sumptu excedant. Nam in parerga & vestium ornatum multi miliones impenduntur, qui in res viles conferri possunt.

Duobus modis hoc consequi Princeps poterit; Primo, si ipse modeste vestiatur, & precia, varietatemque colorum, aliarumque rerum displicere demonstret; cum enim aulici omnes placere Principi velint, multi etiam adulenter, absque vilo præcepto aulam compositam, grauem, sine vestium insolentia videbit, hac composita, si Nobiles alijque negotiorum causâ eo veniant, primò verebuntur, cum animaduertent, se omnibus cultiores, deinde in facerías, & irrisus aulicorum incurrunt. Est enim vilissima vestium superbia; quia muliebris, & in paruis rebus occupatam mentem offendet.

Hinc adolescentem, aut virum curiose, & studiose componentem inopinus deprehendas, erubescunt; quasi aliquid turpe commiserint, & indecore virilem animum abjecerint, non minus, quam si iuicibus ludere, aut equitare in arundine longâ inueniantur. Principem Satrapæ, & Prætores imitabuntur, & quos excedere ex subditis animaduertent contemptu vindicabunt. Quis verò non erubescet cultior esse domino suo? Quis preciosis gemmis & annulis digitos grauatus in conuiuio splendere audebit, cum præsidis puras manus intelliget? Quanti verò hoc sit, nemo ignorare potest, nunc enim opificum, mercenariorum, rusticorum digitis tantum auri teritur, quantum ad magnos exercitus alendos satis est. Et hac in re æmulatio est perniciosissima, celerimeque malum in omnes transfuolat.

Altera ratio est facilis, & lucrosa; vt Princeps cuilibet ordini vestium materiam, modumque præscribat, legemque pœnâ graui ficiat. Primo quidem, vt in legem committentes, pœnâ pecuniaria teneantur. Deinde, vt si cuius annuli, aut byssinæ vestis tribuatur, certâ pecuniæ summâ eam potestatem redimat.

Vtrumque æquum est; nemo enim in legem committere, nisi diuitiarum suarum jactator, quo ipso contemnetur ornatus, & fugietur à prudentibus. Duorum hinc commodorum alterum habebit. Vel vt superbia iuuat ærarium, vel obedientia opulenter ciuitatem. Sit sanè ciuitas, quæ centum animarum millia contineat, omnes preciosius, quàm pro statu amiciuntur, & quidem in cunis, & inter vagitus fastus exultat. In singulas personas decem florenos, quos præter honestatem impendunt, computo; nec minoris luxus ille constat, quamquam enim aliqui non delinquant, plerique tamen majores summas perdunt, & centenos millenosque nonnulli dilapidant; Ecce, si legibus ciuitas illa regeretur, jam millione integro dior esset. Legibus igitur sumptuarijs disciplinam Princeps ficiat.

§. 6. Imperatorum Romanorum magna fuit in vetandis preciosis vestibus seueritas. Nam primo Valens, & Gratianus contextere eas priuatis vibus noluerunt, cap. 11. tit. 8. Auratas ac sericas paragaudas auro intextas viriles priuatis vibus contextere conscribere prohibemus, & in gynaciaris tantum nostris ficiat.

Hic tantum viriles ponit, nam Codex Theodosianus etiam muliebres vetuit, quas Justinianus indulgit. Sed deinde mitigarunt eandem legem, seu potius asperarunt, Gratianus, Valentin. Theodosius cum Principis ministris eas vestes concesserunt; nam concessio alios inuitauit, ita lex habet. Nemo auratas habeat, aut in tunicis, aut in lineis paragaudas, nisi hi tantummodo, quibus hoc propter imperiale ministerium concessum est. non enim leui animaduersione plebetur, quisquis verito se, & indebito non abdicauerit indumento.

Theodosius vetuit purpuram, vt soli Principi debitam, & serica omnia. Temperent vniuersi cuiuscunque sint sexus, dignitatis, artis, professionis, & generis, ab huiusmodi speciei possessione, quæ soli Principi eiusque domui dedicatur: nec pallia tunicasque domi quis sericas contextat aut faciat. Quæ tincta conchylio, quæ nullius alterius permixtione contexta sunt, proferantur ex adibus: tradanturque tunica aut pallia ex omni parte textura cruore infecta conchyliis. Nulla stamina subtexitur tincta conchylio, nec eiusdem infectionis arguto pectine solidanda, fila decurrant: reddenda ex ario holobera vestimenta virilia protinus offerantur. Nec est, vt quisquam de abiurato precio conquatur: quia sufficit calcata legis impunitas. Ne quis verò nunc huiusmodi suppressione in laqueos nouæ constitutionis incurrat, alioqui ad similitudinem læsæ maiestatis periculum sustinebit.

Hic purpuræ priuatis interdicitur, & pœna grauis, nempe periculum ad similitudinem maiestatis. Deinde reddenda est sacris thesauris precio non recepto. Eodem titulo & nundinæ purpuræ prohibentur, & Tyriorum seu Phœnicum officinas explorare iubet Theodosius & Valens.

Quod verò fucare purpuram vetat, id æquum est; nam magnis precijs fraudantur emptores. Vtueretur Theodosius, Arc. Honorius, Vellera ad ultimum colore fucata, in speciem sacri muricis intingere. Si igitur similem Principi vestem gerere crimen Maiestatis erat, legibus & morte vindicatum, cur non suis modestiam Princeps præscribat, vt æris alieni, paupertatis, turbarum, æmulationum causam abscindat?

§. 7. Neque nouis opus est legibus, jam ante decreta sunt, quæ seruari oportuit, modo anima, & vigor à Magistratu legibus contra vitia indatur.

Multis in Comitijs Imperatorum & Principum Leges præstitum est de re vestiana, jam ante annos centum clare de vestitu.

Ingenere dicitur est parsimonia

Aurata, & serica vestes vetite.

Ex aula ad alios manat luxur.

Purpura a vario reddenda.

Purpura sub pœnâ capitis vetita.

Superbia in vestitu omnes pudet.

Vestium omnis crescit æmulatio.

Vestium excessus puniunt multa.

& quinquaginta, sed contra edicta omnia semper luxur in creuit. Testis ipse Principum Senatus. Anno millesimo quingentesimo Maximiliano Augusto ita decretum est. Cum Comitibus prateritis de vestium superuacuo luxu, precusque multisariam tractatum sit, praefertim in conuentu Eriburgensi, legesque & constitutiones facte, necdum tamen publicatae fuerint, has nunc per nos, & ordines imperij nostri iterum renouauimus, & acceptauimus, quasdam earum etiam vberius declarauimus, auximus, emendauimus ut sequentia indicant.

Ordinamus, iubemus, statuimus, volumus, omnibus & singulis Principibus, Electoribus, Ducibus, aliisque Magistratibus, cuiuscunque dignitatis, generis, statusque sint sub poena nostra indignationis, & poena serio mandantes, ut ipsi & eorum quilibet, subditis, & ad se pertinentibus, hanc Imperij nostri constitutionem, & infra scriptam legem de vestium superuacuo precus post mediam quadragessimam, Dominicae Laetare, proxima, imperent obseruare, atque in usum constantem deducere. Quod si Electorum, Principum, aut Magistratuum quispiam, in negotio poenae huius causae lentus, & indiligens fuerit; tum regius Fiscalis postquam Electores, Principes, Magistratus ea super causa monuerit, potestatem habebit violatores citandi, puniendique, nec interloquendi, aut impediendi ius erit Magistratibus, quibus legis transgressores subiecti sunt. Nos quoque tanquam auctores legis, hanc constitutionem in aula nostra, & prouincis hereditariis inchoabimus primi, firmiterque seruari curabimus.

Leges vero istae sunt.

Principio itaque indicamus, ordinamus, instituimus, volumus id quod & in Comitibus Eriburgensibus decretum ac sancitum est. ut vulgus rusticorum, & operarii tam in oppidis, quam alibi in pagis pannum ne induant, cuius vlna dimidium excedat florenum: Praeterea quoduis genus auri, argenti, Egregia leges, sed nunc gemmarum, holoserici, serici, vestis acupictae omnibus, seu plus sartori eorum vxoribus, seu liberis interdiciamus. Hoc tamen decreto datur, quia Principes, Prelatos, Comites, Dominos, Nobiles, vna cum Sarrapis aut Officialibus suis exemptos volumus: quin eos annuo pro consuetudine, vti & alios suos famulos vestire ius fasque esto.

Item opifices cum famulis & aliis quibuscunque mercenariis vtantur pro caligis aut vittis panno, cuius vlna quadrantes floreni tres non exsuperet. Pro togis & palliis, panno paruo, cuius vlna dimidium florenum non excedat, contenti erunt. Neque aurum, argentum, vniones, sericum, holosericum, vestem vndulatam aut acupictam gestabunt. De opificibus, feminis, liberis eorum, quod attinet ad vestitum, idem esto iudicium.

Item Equites, aurum, argentum, sericum, immo nec pectorale, nec vllum auro, argentoque intertextum habeant, nec vestes suas serico discriminent.

Sericum.

Item omnibus & singulis industria plicata, pectoralia auro & argento distincta, argenteas & aureas quoque vittas prohibemus. exceptis Principibus, Magnatibus, Comitibus, Dominis & Nobilibus, quos hoc decreto solutos volumus. verum vnusquisque pro statu suo mediocritatem siue modestiam diligit, luxurque superfluum deuitabit. Et imprimis Nobiles, qui nomen Equitis aurati Doctorisve non sunt sortiti, vniones, vel aurum suis indutis pectoralibus, ne obtexant. Nobilibus tamen Equitis aurati, aut Doctoris titulo insignitis, binas argenti vncias, nec vltra mitris praeferre concedimus.

Item ciuibis in oppidis, qui Nobiles, Equites, aut Doctores non sunt, vsum auri, vnionum, holoserici, purpurae, pretiosarumque pellium suffulturas prohibemus, thoraces tamen sericos holosericosque vel pannum Damascenum in vestem indulgemus. Similiter vxorum filiorumque vestes holoserico sericoque, non tamen aureis & argenteis segmentis insignire liceat. Porro filiabus eorum virginibus, spiris, gemmis, & vnionibus variis, ne sit interdictum, hac tamen lege, ut modestie mediocritatisque leges non transgrediantur.

Item Nobiles non dum Equites aurati aut Doctoris titulo

inaugurati, nec aurum, nec vniones palam gerant, nec diuersicolorem vestitum, nec nimio opere acupictum, hunc tamen si curare est animus, ne quid nimis.

Item Nobiles, Equites aurati, Doctores veste Attolica abstineant, huiusmodi tamen thoracibus iis etiam vtendi copiam facimus.

Anno 1530. regante CAROLO V. sic statutum

DE IMMODICO VESTIVM splendore.

Cum honestum, decens, & aequum sit, quemlibet, cuiuscunque ordinis ac generis sit, pro statu, dignitate, fortuna & opibus suis conueniente vestitu ac habitu vti, ad cuiusque statum facilius ac certius internotandum placuit cum Electoribus, Principibus, Statibus de sequente vestium Ordinatione conferre, conuenire, concludere, id quod sub animaduersione poenae adiuncta omnimodis obseruatum volumus.

DE RVSTICANIS RVRI VEL IN PAGIS degentibus.

Et primo quidem sancimus, ordinamus, decernimus, ne vulgus rusticorum, operariorum mercenariorum, in pagis aut rure degentium, non exterum, sed patrium intra Germaniam textum & huiusmodi vsitatum (excepe Londinensem, Mechliniensem, Lyrensem) pannum in vestem adhibeant. Tunica non talares, non rugosa sint, sed surarum tenus porrigantur, nec nisi sexplicas habeant. Femoralia tamen à Londinensi, Mechliniensi, Lyrensi panno commoda fuerint, quin gossypinum thoracem absque laxioribus manicis curare licebit, ita ut semper fenestratum, confectumque vestibus abstineatur.

Praeterea decernimus, ne aurum, argentum, gemmas, sericum, acupicta collaria interulus assuta gestent, seu auro seu serico filo elaborata, nec pectoralia, cristas, fascias sericas, calceos fenestratos, pileos Doctores, sed galeros ac vittas.

Similiter vxoribus ac liberis nihil amplius vltiusue indultum, quibus & omnia collaria, mamillaria, calantica, aureis fimbriis prae-textas, aurea, argentea, byssina cingula, coralla, omne aurum, argentum, gemmas, byssum interdiciamus, si liabus solummodo ac virginibus crinale sericum concessum esto.

Similiter vxores summum à Londinensi tela amiculum non alia, & rhemones vero ex agnitis, caprinis, & id genus vilioris nota ac pretii pellibus subdititiis, sine tegmentis & fimbriis conficere & gestare possint.

DE CIVIBVS ET INCOLIS Ciuitatum.

Item cum in ciuitatibus & oppidis triplex potissimum ciuium sit & incolarum genus, videlicet vulgares ciues & opifices, mercatores & negotiatores, & alii Senatorii, ac Patrii ordinis aut honestioris familiae ac prosapia, suo censu redditibus & succo viuentes. Statuimus, ordinamus, decernimus, ne plebs opifices, mercatores, auro, argento, gemmis, holoserico, bombycinis, oculatis, fenestratum, disiectis, aut segmentatis vestibus vtantur, nec pileo Doctorali, nec Martium, aut id genus preciosis animalium pellibus habitum sufficiant, mediocri, decentique cultu, viuerent vulpium, agnorum, & id genus parabilioribus contenti.

Eadem vxorum ac liberorum ratio. Illis tamen annulus aureus sex duntaxat florenorum sine gemma, collare bysso praetextum, calantica, aureola fimbria paruula, digitos lata duos, damascenum, aut sericum amiculum, cingulum non vltra decem florenos tantummodo argenteis non deauratis bullis distinctum permittitur. Virgines crinale holosericum argento non auro illisum praeferrant, licet.

Item opificum tyronibus ac famulis iam rude donatis vsum auri, argenti, byssi, cristae aut pluma vestimenti fenestratum vsum interdiciamus, nec alio se habitu ferant, quia proxime de opificibus & mechanicis, in vrbis est commemoratum.

Quod si vero quis ex opificum tribu & numero in Senatum adlegeretur, non alio, quam deinceps diceretur, Mercatorum cultu vti licebit.

D 2

DE MERCATORIBVS, ET NEGOTIATORIBVS.

Mercatores, Negotiatores urbici, holoserici, damascenas, sericas, byssinasve togas ne induuntur. Aurum, argentum, gemmas, aurea, argentea capillaria vitantur, toga undulata, Bombycini thoraces, (non holoserici, non murice tincti) non segmentati, annuli item aurei permittuntur.

Tela 2. flor. pretio superante ne vitantur. Martium, muris aranei, aut id genus nobilioribus ac rarioribus pellibus vna cum vxoribus abstinento.

Vxoribus item, par in veste cultus, nec supra duas holoserici byssi, serici, damasceni vlnas in quoduis vestimentum impendant, simbras superne attexere non vetitur.

Item vetitum illis cingulum 20. florenorum precium excedens.

Item simbria aut sinus, in peplo aut calanica 5. digitos lata.

Item holosericum byssinumq, amiculum, cum spintere seu fibula aurea, 20. flor. excedens.

CIVES VRBANI, QVI SENATORII, PATRICII ordinis, aut praeceptae familiae, redditibus suis ac censibus viuunt.

Omnes hi eo prorsus vestitu, ac cultu sint, quo supra est de mercatoribus & negotiatoribus indicatum, praeterquam quod togas undulatas tribus vlnis serici praetextas, similiter pelles martium (non tamen selectiores) vti & holosericos & byssinos thoraces, (non murice tinctos) byssina criminalia gestare possint.

Aureos item annulos non tamen 30. 40. florenorum precium superantes, his permittimus.

Vxores eorum non dissimili mercatorum mulieribus sint habitus, praeterquam quod 4. vlnas holoserici, aut byssi, non ostro tinctae distinguendis ac variandis vestibus liceat impendere. Torquem item aureum 30. 40. 50. flor. cingulumque 30. flor. concedimus.

NOBILES.

Nobilibus porro holosericum, aut sericum conchyliatum interdiciamus, summum Damascena tela, aut huiusmodi byssum conceditur, quas sex non amplius vlnis vermiculare possint. Similiter annulos aureos, discriminat, torquem non maiora, quam 200. flor. pretio, quem tamen tanta obuoluant aut distinguant, pro vetere more ac consuetudine his praeferre liceat.

Qui Principis alicuius Aula Praefectus, Cancellarius, Marchallus, Consiliarius, Ignobilis tamen fuerit, non dispari ab Nobilibus cultu vti poterit.

Equires tamen aurati eximantur, quibus torques publicitus absq, tanta gerendi ius fasq, esto, ac ne torques 400. florenorum precium excedat.

Pelles muris aranei, & id generis non prohibemus.

Nobilium coniuges 4. tunicas byssinas sibi curare possint, insq, palam vti, vnam nempe holosericam, tres reliquas e panno damasceno, aut id genus bysso, nec plures quaternis. Attamen absq, gemmis, argento, auro. Quod si eas segmentis ac simbris insignire placuerit, licebit id quidem gemmis, aut argento superne, nec supra latitudinem quadrantis vlnae.

Equitis aurati coniux hanc simbram, auro, superne tamen, & eadem latitudine attexere poterit. Et vero si quibus numerus maior vestium, quam modo commemorauimus fuerit, cumq, filiabus ac liberis seruent, non erit vetitum.

Vittas aureas aut pileos, quorum spira & ornamenta 40. florenos ne superent, vsurpent, licebit.

Nobilis item semina, torques, fibulas, spintheres, monilia & id genus ornamenta muliebria, quae omnia (exceptis annulis) 200. flor. ne excedant, gestare poterit.

Item segmenta & cingula aurea 40. florenis, ne sint maiora.

DE DOCTORIBVS.

Doctores eorumq, vxores poterunt ornatam vestem, annulos aureos, & alia pro statu suo insignia praeferre.

DE COMITIBVS ET BARONIBVS.

Comites ac Barones veste Attalica ne vtantur, sed solum holoserico, ostro, aliq, bysso, & serico, nec auro illis, nisi sine Equites aurati.

Torques 500. flor. gerere liceat.

§. 8. Vltima sumptuariae legis materia est in aedificati-
um exstrukione & familia, aedificare enim domos & multa corpora alere eis *est vltima aegrotatio & est vltima*. Recta est ad paupertatem via. Valde prouidendum Principi, ne domorum splendore ac magnificentia ita certent ciues, vt ad egestatem redigantur. Cum enim incerti sumptus aedificationis sint, nunquam tam exacte rationes ducuntur, vt non destinatis maiores impensa sint faciendae. Estque hoc superbe aedificantium solenne erratum, vt aedes relinquere, & migrare cogantur. Expedit itaque vt ratio constet publicis aedibus, ne dum ample, & magnifice habitant, patrimonium, & comitatum sibi coarctent.

§. 9. Huic quoque errori, vel morbo, si sanitatis *Aedificati-
ones.* leges praescribi possunt, illae seruandae sunt. 1. Vt *omnia infra
Principes & Respublica sibi temperet. Curiam, au-
molestiae.* lam, omniaque habeat infra maiestatem, ne ciuium emulationem accendant.

1. Opera noxia, temporaria, inutilia omittant. Talia sunt, Theatra, Circi, Pyramides, Colossi, hortu penfiles, arcus triumphales, & quicquid talium barbarus fastus adinuenit. Hac sane in re Romani deliquerunt, Theatrum Scauri, quid iuuat, de quo Plinius lib. 36. cap. 15. Non patiemur duos Caios, vel duos Neronas, ne hac quidem gloria fama frui: docebimusque etiam insaniam eorum victam priuatis operibus M. Scauri, cuius nescio, an Aedilitas maxime prostrauerit mores ciuiles, maiusque sit Sylle malum, tanta priuigni potentia, quam proscriptio tot millium. Hic fecit in Aedilitate sua opus maximum omnium, quae vnquam fuere humana manu facta, Scauri. non temporaria mora, verum etiam aeternitatis destinatione Theatrum hoc fuit. Scena ei triplex in altitudinem CCCLX. columnarum, in ea ciuitate, quae sex Hymettias non tulerat sine probro ciuis amplissimi. Ima pars scena e marmore fuit, media e vitro, inaudito etiam postea genere luxuria. Summae tabulis inauratis columna, vt diximus: ima duodequadragentum pedum. Signa aerea inter columnas, vt indicauimus, fuerunt tria millia numero. Cauea ipsa cepit hominum LXXX. millia, cum Pompeii amphitheatri cotes multiplicata vrbe, tantoque maiore populo, sufficeret large XL. millia. Sed & reliquus apparatus tantus Attalicae veste, tabulis pictis, ceteroque choragio fuit, vt in Tusculanum villam repositis, quae supersuerant quotidiani vsus delictis, incensa villa ab iratis seruis concremaretur ad H-S milles.

Quid Curionis? nili vt ciues faceret penfiles? Quid pons Heliogabali? omnia illa perdendis opibus fuerunt. Nonne si ea pecunia in munitionem impensa fuisset, fieri inuisa Roma poterat?

3. Vtilia opera, vt munitiones, molendina, aqueductus, portus, navigabiles fluuiorum alueos, iudicio, & pro sumptu faciet. Talia sunt, quae Q. Marcius Rex fecit, quae eodem loco Plinius recenset. Insussus a Senatu aquarum, Appia, Anienis, Tepula, ductus rescire, nouam a nomine suo appellatam cuniculis per montes actis intra Praeturae sua tempus adduxit. Agrippa vero *Opera im-
in Aedilitate sua, adiecta virgine aqua, ceteris corriuatis atq, mensi sum-
emendatis, lacus septingentos fecit: praeterea salientes 105. ptus, sed v-
castella centum triginta complura etiam cultu magnifica: o-
tilia.* peribus iis signa trecenta aerea, aut marmorea imposuit, columnas ex marmore quadringentas, eaque omnia annuo spacio.

cio. Adicit ipse in Aedilitatis sua commemoratione, & ludos vnde sexaginta diebus factos, & gratuita prebita balnea centum septuaginta, quae nunc Roma ad infinitum auxere numerum. Vicit antecedentes aquarum ductus nouissimum impendium operis inchoati à Caio Cesare, & peracti à Claudio. Quippe à lapide quadragésimo ad eam excelsum, ut in omnes vrbs montes leuantur, influxere Curtius atque Caruleus fontes. Erogatum in id opus festerium ter milles. Quod si quis diligentius aestimauerit aquarum abundantiam in publico, balneis, piscinis, domibus, curiis, hortis, suburbanis, villis, spacioque aduentis, extructos arcus, montes perfoscos, conualles aquatas, fatebitur nihil magis mirandum fuisse in toto orbe terrarum. Eiusdem Claudii inter maxime memoranda equidem duxerim, quamuis destitutum successoris odio, montem perfossum ad lacum Fucinum emitendum, inenarrabili profecto impendio, & operarum multitudine per tot annos: cum aut corruatio aquarum, quae terrenus mons, egeretur in vertice machinis, aut flexu caderetur, omniaque intus in tenebris fierent, quae neque concipi animo nisi ab iis, qui videre, neque humano sermone enarrari possunt. Nam portus Ostiensis opus praeterea: item vias inter montes excisas: mare Tyrrhenum à Lucrino molibus seclusum tot pontes tantis impendis factos. Et inter plurima alia Italiae miracula, ipsa marmora in lapidinis crescere auctor est Papyrius Fabianus, natura rerum peritissimus: exemptores quoque affirmant compleri sponte illa montium vulcera. Quae si vera sunt, spes est nunquam defuturam luxuriam.

Celsitudo adificiorum. 4. Aedium priuatarum certus sit modus. Augustus aedificandi ambitionem coërcuit; cum enim nimium attollerent, ut periculum ruinae struerent, aërem interciperent, lucem excluderent, septuaginta pedes definiunt, teste Strabone; Nemo etiam idem fecit; Trajanus sexaginta permittit.

Aedificandi insania cito crescit. 5. Sumptum aedificiorum in rebus inutilibus, quae nec ad firmitatem, nec commoditatem facit omnino prohibeat. Nam finem insania aedificandi nullum habet; Marci Lepidi domus pulcherrima fuit, at intra annos triginta quinque centesima non fuit. Ita Plinius libro trigésimo sexto capite decimo quinto. Computet in hac estimatione, qui volet, marmorum molem, opera pictorum, impendia regalia, & cum pulcherrima laudatissimaque certantes centum domos, posteaque eas ab innumerabilibus aliis in hunc diem victas. Profecto incendia puniunt luxum: nectamen effici potest, ut mores aliquid ipso homine mortalius intelligant. Sed eas omnes duae domus vicerunt.

Sumptuosae sunt marmora, sculpturae, picturae. Haec lege tria praecipue inhihentur, marmora peregrina, sculpturae, picturae.

De marmore haud vana est Plinij querela libro trigésimo sexto capite primo. Cadimus montes, trahimusque nulla alia, quam deliciarum, causa, quos transcendisse quoque mirum fuit. In portento prope maiores habuisse Alpes ab Annibale exsuperatas, & postea à Cimbris: nunc ipse caduntur in mille genera marmorum: promontoria aperiuntur mari, & rerum natura agitur in planum. Euehimus ea, quae separandis gentibus pro terminis constituta erant: nauesque marmorum causa fiunt, ac per fluctus seuissimam rerum naturae partem, huc illucque portantur iuga montium, maiore etiamnum vesania, quam cum ad frigidus potus vas petitur; in nubila, coeloque proxima rupes cauantur, ut bibatur glacie. Secum quisque cogitet, quae praetia horum audiat, quas vehi trahique moles videat.

Scaurus trecentas sexaginta columnas marmoreas ad theatrum mensuram contulit, sed ex rapina paterna prouinciarum, & tabulis Sullanis. Lucullus marmori dedit nomen ad memoriam vanitatis, & fuisse ex illis duodequadragenum pedum. Videmus celerem vitiorum triumphum. Lucius Crassus Orator primus peregrini

marmoris columnas habuit, sed Hymetticas, & fenestras tantum, nec longiores duodenum pedum, nec sine opprobrio, nam idcirco Brutus cum Venerem Palatinam appellabat.

Multo magis cauendum, ne materiam superet opus, sculpturae, picturae, incrustatura, inaurationes vetandae, quorsum enim tanti sumptus, & cura? cur lulum auro politur? Aut quid Regijs palatijs amplius tribui potest, quam ut marmore, aere, ebore, electro, argento, auro adornentur? Merito tantum fastum priuatarum obnoxium faciet seruituti, ut legatos, aut peregrinos excipere cogatur, atque ut alibi de foco, & regulis, ita hic de auro tributum detur.

Familiae exercitus prisci habuerunt, multosque Familia ad solitudinem redegerunt comitatus. Nunc quoque prouidendum, ne illi, quorum status mediocris est, familiam inutilem domi alant. C. Cæcilius, Claudius, Isidorus quatuor millia, centum & sedecim seruos habuit, sed plerisque viles, alij plures sine causa, Romae tanta erat ea in refectum, ut hac re priuati, & Respublica extrema passa sit. Seruile bellum ex gregibus mancipiorum, conflatum est; Roma in perpetuo periculo fuit.

Periculum Roma à seruis. In Senatu dicta est aliquando sententia, inquit Seneca libro 1. de clement. capite vigesimo tertio, ut seruos à liberis cultus distingueret, deinde apparuit, quantum periculum foret, si serui nostri numerare nos coepissent. Demetrius Pompejanus libertus, quem non puduit locupletiores esse Pompeio, magnam familiam habuit, Seneca libro de Tranquillitate animi capite nono. Numerus illi quotidie seruorum, velut Imperatoris exercitus referebatur: cui iam dudum diuitiae esse debuerant, duo vicarii, & cella laxior.

Pompa senat. De pompa Demetrii narrat Plutarchus in Catone Vticensi. Hic Antiochiam ibat, & videt extra portam in vitroque via margine, compositae stantes, viros, iuuenes, pueros, cum discrimine atatum in festo omnes habitu & veste: Magistratus praeterea Candidatos, Sacerdotes etiam ipsos, coronatos. Cato stomachari, & putare sui honoris causa factum, & succensere iis, quos praemiserat, tamquam indicassent. Itaque propior descendit vehiculo, & suos idem facere ac pedibus ire iussit: tantum saluandus & pompa illa deducendus. At ecce senex quidam, coronam & virgā insignis (designator uerbat) ne salute quidem dicta rogauit. Vbi Demetrium reliquissent? & quando venturus? Demetrius is erat Pompeii libertus, & multum apud illum poterat, in quem omnes mortales tunc oculos habebant coniectos. Itaque hic comites Catonis & indignari, & risu emori: Cato nihil aliud prolocutus, quam, O miseram ciuitatem! in eam ingredi.

Seruorum multitudo, clientium, ministrorum scopulus est nobilitatis, & Principum. Quamquam exterarum nationes fere gloriolae illius appetentiores, ut Turcae, quo enim quaeque gens magis barbara est, eo pluribus imperitare domi gaudet. Atque hac de legibus sumptuariis.

CAPVT XV.

Aliae honestae, & subditis viles rationes, quibus opes Reipublicae firmantur.

§. I. **O**PES Reipublicae necessarias docui, illae honeste vel cum ciuium incommodis, vel absque eorum detrimento, vel denique cum utilitate eorum congregantur; de postremo modo ago